



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Negativa eligitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

10. *Quomodo prima operatio Angeli fuerit ex gratia speciali.*

§. I.

Negativa eligitur.

1. Angelum de facto non tantum naturam malum non esse (ut Priscillianista & Manichaei blasphemabant) sed neque suam voluntate & actu libero in primo instanti malum esse, certum est apud Scholasticos, & sequitur ex superioribus dictis in §. 2. & 3. disput. precedenti, ubi ostendimus, Angelum non modo in gratia conditum fuisse, sed etiam in primo instanti suae creationis meruisse. Quæritur ergo, an absolute saltem fieri potuerit, ut Angelus in primo instanti sui esse peccaret? Affirmativa placet Scoto, Suarezio & aliis, negativam S. D. hic a. 4. amplectitur; cum quo fit

2. Conclusio. *Angelus in primo instanti suae creationis peccare non potuit.*

Ratio est primò Angelus aut fuisset conditus in statu purae naturae, aut elevatus in finem supernaturalem. Si in statu purae naturae, fuisset non tantum pro illo instanti, sed pro tota sua duratione impeccabilis, ut patet ex §. preced. Si in statu naturae elevatae, tunc fuisset conditus in gratia, sed peccatum actuale non potest pro eodem instanti simul stare cum gratia; ergo Angelus in primo instanti suae creationis peccare non potuit.

3. Ratio est secundò. Si Angelus (eadem est ratio de alia quacunque creatura rationali) in primo instanti suae creationis peccaret, illud peccatum esset à DEO, ut causa speciali; sed hoc est impossibile: ergo. Sequela probatur. Respectu illius actus DEUS est causa specialis, ad cuius productionem voluntatem creatam solus & unicus applicat: sed in primo instanti ad actum producendum solus DEUS applicat voluntatem; ergo si ille actus sit peccaminosus, DEUS erit causa specialis illius peccati. Major videtur certa; illa enim est utique causa specialis, praeter quam nulla alia est assignabilis, sed in ratione causae applicativae ad primam operationem Angeli, nulla est assignabilis praeter DEUM: ergo minor etiam probatur. Causa movens & applicans voluntatem ad suam operationem est illa, quae causat notitiam & practicum dictamen in intellectu, ad quod proximè sequitur operatio ipsius voluntatis: sed in primo instanti solus DEUS potest causare notitiam & dictamen practicum intellectus: nam voluntas Angeli non causat dictamen practicum intellectus, nisi per actum proprium, sed in primo instanti & pro prima operatione non praesupponitur aliquis actus ipsius: ergo sola causa extrinseca, nempe DEUS, qui solus in intellectum Angeli illabitur, potest causare primam notitiam & iudicium practicum, ad quod consequitur operatio voluntatis.

4. *Unde non dicas:* sufficere, quòd voluntas in primo instanti sit principium elicitive suae operationis, motum à DEO per concursum generalem, quo concurrunt ad omnes operationes. Nam contra est primò. Quòd voluntas non potest esse principium elicitive suae operationis, nisi quantum est applicata & determinata per primum dictamen practicum intellectus: atqui in illo primo instanti seipsam non applicat ad primam ope-

rationem, aliàs jam non esset prima operatio Angeli contra hypothèsin, & daretur processus in infinitum. Ergo est necesse, ut non tantum DEUS per modum causae universalis concurrat ad electionem actus, sed etiam ut causando primam notitiam & dictamen practicum intellectus voluntatem specialiter applicet, sicut & ipsa voluntas seipsam ad actus sequentes specialiter applicat, movendo intellectum ad actum Imperii, ut docetur in Tract. de actibus hum.

Contra est secundò. Angelus non peccat nisi seipsum movendo & applicando ad actum peccaminosum (aliàs enim operatio non est contra liberam) sed in primo instanti seipsum non potest applicare & movere ad actum peccaminosum: ergo.

Confirmatur primò Operatio, quae incipit cum esse rei, tribuitur generanti, & Authori ipsius naturae: ergo si prima Angeli operatio esset peccaminosa, tribueretur DEO, tanquam Authori naturae. Antecedens probatur. Prima operatio vitae est quoddam complementum naturae, consequens ad inclinationem ipsius: sed hoc tribuitur Authori naturae, sicut & ipsa natura inclinatio, qui enim dat esse, dat etiam consequentia ad esse, quae de causa motus cordis in animalibus, & motus gravium & levium generant adscribuntur.

Confirmatur secundò. Si Angeli prima operatio esset peccatum, tunc primum iudicium & dictamen intellectus esset defectuosum & erroneum, non enim esset peccatum in voluntate, quamdiu non praecedat error, aut inconsideratio intellectus, veluti supp. ex Tract. de vit. & pecc. Sed primum Angeli iudicium non potuit esse defectuosum aut erroneum; cum enim illa mala cogitatio praecederet omnem liberam electionem, ac determinationem voluntatis, esseque omnium prima, etiam esset necessitudo à DEO immutata & causata, quod implicat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objectiones primò: Homo perveniens ad instanti perfecti usus rationis potest in illo instanti peccare mortaliter absque hoc inconvenienti, ut illud peccatum DEO ut speciali causa, tribuatur. Ergo etiam Angelus potest in primo instanti peccare mortaliter absque illo inconvenienti. Paritas probatur primò. Quia Angelus in primo instanti habet longè perfectiorem usum rationis, quam parvulus. Secundò. Quia sicut instans creationis est primum instans Angeli, ut Angelus est Angelico modo operans; ita instans usus rationis est primum instans hominis, ut homo est, & humano modo operans.

Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quòd instans primae operationis Angelicae est Mathematicè & Physicè unum: in quo voluntas Angeli simultaneè applicatur ad amorem ultimi finis in particulari. Unde cum seipsam juxta supr. dicta applicare non possit ad talem actum, debet à principio extrinseco applicari. Econtra instans usus rationis in homine non est Mathematicè & Physicè, sed tantum moraliter unum & integratum ex pluribus instantibus: Nam homo non nisi per discursum & pro-